




Dissertatio medica inauguralis de amenorrhoea ejusque cura, imprimis per electricitatem, additis observationibus

<https://hdl.handle.net/1874/310847>

DE
AMENORRHOEA EJUSQUE CURA,
IMPRIMIS PER ELECTRICITATEM,
ADDITIS OBSERVATIONIBUS.



17.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
**AMENORRHOEA EJUSQUE CURA,
IMPRIMIS PER ELECTRICITATEM,
ADDITIS OBSERVATIONIBUS,**

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
LUDOVICI GERARDI VISSCHER,
PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

BASTIANUS JACOBUS HOLSTER,
Silvaduccensis.

A. D. XVIII MENSIS JUNII ANNI MDCCCLVI, HORA VI.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD J. HERFKENS, F. FIL.
MDCCCLVI.

REVUE DE LA BIBLIOTHÈQUE

ANNUAIRE DES ÉCRIVAINS
FRANÇAIS DE LA RÉVOLUTION
ET DE L'ÉMPIRE

PAR M. G. DE LAUNAY

PARIS, CHEZ M. DEBAILLON, MARCHÉ DE LA BOURSE, N. 10.

Il est permis de se procurer cet ouvrage chez tous les Libraires de Paris, et chez M. DEBAILLON, au Marché de la Bourse, N. 10.

Le prix de cet ouvrage est de 10 francs, et de 5 francs par volume, si l'on se procure les volumes séparément.

On trouve chez M. DEBAILLON, au Marché de la Bourse, N. 10, un grand nombre de livres de la collection de la Bibliothèque de la Ville de Paris, et de la Bibliothèque de la Ville de Rouen.

On trouve chez M. DEBAILLON, au Marché de la Bourse, N. 10, un grand nombre de livres de la collection de la Bibliothèque de la Ville de Paris, et de la Bibliothèque de la Ville de Rouen.

PARIS, CHEZ M. DEBAILLON, MARCHÉ DE LA BOURSE, N. 10.

INTRODUCTIO.

Haud facile sine dubio est medicinae doctorando, cui dissertatio conscribenda est, eligere idoneum argumentum, nam si novum quid describere vult, experimenta quidem facile instituere, idonea autem difficulter reperire potest. Libenter tamen, quamvis in brevi studiis destinato tempore, doctrinas medicas tam extensas transcurrere tantum potuerit; quamvis tempus, quod ei ad scribendum specimen superest, vulgo breve sit; quamvis scribendi et aliquod argumentum elaborandi exercitatio ei plane deficiat, praemittis studiorum in lucem edens, novi quid scientiaeque utile produceret. Quod autem ut perficiat, coactus fere est, scientia universali neglecta, in peculiare studium incumbere, quo facto pro parte saltem praecipuum scopum facile praeteribit.

Credo legem in officio, quod nobis praescribit, dis-

sertationis conscribendae, nil aliud spectare, nec aliud eam rogare licere, quam elaborationem ejusdam argumenti medici ab eo ipso scripti, cui experimenta, si opus est, addi possunt; et hanc descriptionem minus in doctrinae gratiam, quam in scriptoris utilitatem esse conficiendam.

Hoc modo satis indicavisse credo, quo tendat specimen, antequam autem huic introductioni finem imponam Promotori meo, Viro Clarissimo L. C. VAN GOUDOEVER gratias agere debeo, non solum pro auxilio, quod mihi semper maxima cum benevolentia et humanitate hoc in labore praebuit, verum etiam pro egregia institutione; Praeceptorum quoque caeterorum grato animo semper reminiscar, quum mihi persuasum habeam, me multa necessaria et utilia ab iis didicisse.

P A R S P R I O R.

DE AMENORRHOEA EJUSQUE CURA.

Nulla in medicinae scientia quaestio, nulla humani organismi functio tot conjecturis magis minusve ingeniosis, nonnullis etiam plane absurdis, ansam praebuit, quam menstruatio. Variis, imo omnibus fere cum rebus menstruationem cohaerere statuerunt medici; mirabile autem est dictu, fere nunquam de nexu inter eam cum vita sexuali et procreatione cogitatum est, ita quidem ut GALENI, PARACELSI et GRAAFII sententia, corpus menstruationis ope purgari stuentium, universe fere et per longum admodum temporis spatium defensores habuerit, forsitan, aliquantulum modificata, adhuc habeat, ac si forte sanguis atque materiae animalis mutatio in foemina aliis regulis, quam in viro obedirent. Nonnullis quidem haecce doctrina displicebat, at vero hanc vituperantibus iis suffi-

ciebat statuere menstruationem foeminam ad conceptionem idoneam reddere, quandoquidem una cum menstruatione foecunda fit, et cessante illa procreationis facultatem amittit.

Recentiorum investigationes hanc rem paululum illustraverunt; postquam nempe OKEN et B. W. SEILER ostenderant, deciduam nil aliud esse, nisi evolutam uteri membranam mucosam, et E. H. WEBER glandulas utriculares invenerat, H. MECKEL in variis cadaveribus mulierum non gravidarum, quae paulo post menstruationem mortuae erant, mucosam uteri crassiorem et magis evolutam, deciduae similem, invenit.

Simul POUCHET, DALTON, SIMPSON, OLDHAM observationes communicarunt de menstruatione dolorifica, sive dysmenorrhoea, in qua majores vel minores membranae expellebantur, quae omnia signa characteristica verae deciduae habebant.

Dein BISCHOFF, BARRY, VON BAER nexum inter ovuli maturitatem, folliculi Graafiani rupturam et sanguinis ex utero jacturam investigabant, ac statuebant, periodica folliculorum Graafii evolutione impulsus physiologicum oriri, congestionem in uterum producentem et fluxu menstruali terminatum.

Utero igitur, de quo VAN HELMONT dixerat: »Propter solum uterum mulier id est, quod est;» non tantum omne imperium negabatur, verum etiam ejus functio mutationibus in ovario plane subjecbatur.

Videntur tamen mihi nominati auctores, id statu-
tentes, nimii omnino fuisse. Indirecte men-
struatio pendet ab ovario et ovulorum evolutione,
quae vitae sexualis quasi animus haberi potest,
absque eo procreationis facultas non datur et nulla
vitalis functio hanc in directionem perfici potest,
directe tamen ovarium nullum in uterum conges-
tionem producere potest. Eadem nempe, nobis
adhuc incognita causa, quae periodice redit, tum
folliculi Graafiani maturitatem brevi producit, et
ejus rapturam provocat, tum deciduae formatione,
aut potius membranae mucosae mutatione, uterum
aptum reddit ad ovulum suscipiendum et nutri-
endum.

Haec opinio, ut mihi videtur, eo demonstra-
tur, quod nunc initio, nunc ad finem menstra-
tionis folliculus Graafianus contentum suum ef-
fundat; magis autem adhuc eo, quod, durante
menstruationis periodo, eadem mutationes, tam
in utero et in tubis, quam in ovario observentur;
nova enim producta et in folliculo Graafiano et in
utero formantur, dum in utroque simul sanguinis
jactura obtinet.

Ita menstruatio obtinere posset, etiamsi nullus
folliculus Graafianus rumperetur et igitur nullum
ovulum emitteretur, quod COSTE assumit, nec BI-
SCHOFF plane negat, qua ratione forsitan nonnulli
sterilitatis casus in mulieribus, quarum menses re-

gulariter fluunt, interpretari possunt. Aetate pro-
 vectiores foeminas non amplius gravidas fieri, cum
 BISCHOFFIO nimis exiguae glandularum utriculariam
 evolutioni, qua fit, ut ovula, etsi foecundata, nihilo-
 minus pereant, facile tribuere volumus, quia hac
 aetate membranae mucosae earumque secretiones
 valde mutantur.

Defectus periodici sanguinis effluxus e genitali-
 bus foeminae non gravidae, nec lactantis, aetate
 nubili (i. e. annis in quibus foecundum connubium
 exspectari potest) amenorrhoeae nomine insi-
 gnitur.

Corporis evolutio universe, praesertim autem
 organorum eorum, quae ad systema genitale per-
 tinent, vel cum eo arcte cohaerent, ut mammae et
 capilli, denotant foeminam ad hanc aetatem perve-
 nisse; quod si nunc menstruus fluxus internorum
 quoque organorum generationi inservientium sexua-
 lem actionem incepisse denotat, foeminam ad pro-
 creationem promptam habere possumus.

Quod ad tempus attinet, quo haec functio per-
 gravis in muliebri organismo incipit, multae investi-
 gationes statisticae nos docuerunt, illud (si morbos
 excipias) imprimis differre pro variis gentibus, pro
 climate, pro vitae denique ratione, vel educatione.

In climate calido celeris evolutio et sexus ma-
 turitas sunt conjunctae. Contra omnibus in gentibus
 et climatibus educatio mollis et vitae ratio seden-

taria in genere evolutionem tardiozem et sexus maturitatem citiozem; educatio durioz et vilae ratio laborioza evolutionem celoziorem, sexus autem maturitatem tardiozem reddunt. Minus bene investigationes statistioae temporis spatium, per quod menstruatio perdurat, determinare potuerunt. Per triginta circiter annos durat et pro regula fere haberi potest duarum mulierum ad eandem gentem pertinentium, in eodem climate viventium, quae simul in iisdem conditionibus versantur, apud eam, cujus menses citius apparuerunt, menstruationem per longius temporis spatium perdurare, quam apud eam, in qua tardius fluere inceperunt.

Hisce accedit hereditas, qua fit, ut filia non raro eundem typum in sexus evolutione sequatur, quem antea mater habuit. Assumere possumus nostrates puellas sexto decimo aetatis anno ad maturitatem pervenisse et foeminas ad aetatis annum quadragesimum quintum foecundas manere. Aetate commemorata menstruatio fere semper incipit et cessat.

Quamquam ad omnia, quae enumeravimus, attendi debere videatur, ubi definitio de amenorrhoea statuenda est, tamen non tantum valent, quantum primo adspectu valere videntur, quia apud singulas foeminas hac in re permagna diversitas existit.

Amenorrhoeae definitionem, quam supra dedi et brevem enumerationem eorum, quae universe menstruationem modificant, praemittendam credidi,

at vero mihi non proposui unamquamque amenorrhoeam, vel amenorrhoeam solam describere, ut igitur definitio mea non plane exprimat id, quod describere volo, nam ab una parte amenorrhoeae species, de quibus loqui in animo est, data definitio prorsus vel pro parte excludit; ab altera varias complectitur conditiones, de quibus loqui mihi nequaquam proposui. Ad primas pertinent menstrualio vicaria et dysmenorrhoea, ad alteras omnes illi casus sunt referendi, quibus incompleta formatio, id est primae evolutionis vitium (*Hemmungsbildung*) subest, aut qui deformitate, sive morbi sive operationis sequela, producuntur, nec minus eae organicae mutationes, quae curam chirurgicam requirunt.

Non raro puellae nubilem aetatem intrant absque fere ulla molestia, vel insciae pene; multis autem in casibus nova, adhuc inordinata functio molestis, quin nonnullis in casibus periculosis, symptomatibus sese ostendit, quae nomine molimina menstruorum insigniuntur, quaeque etiam pro maxima parte symptomata efficiunt amenorrhoeam comitantia, ita ut nobis facile proponere possimus evolutionem sexualem in plurimis amenorrhoeae speciebus non ad plenam maturitatem quidem pervenire, sed eo persistere gradu, qui maturitati proximus est.

Molimina, quae praeter in amenorrhoea, *κατ' ἔξο-*

xiv ita vocata, in menostasia vel mensium suppressione, in menstruatione parca, dysmenorrhoea etc., adesse possunt, diversis admodum formis sese ostendunt; nunc tam leves sunt, ut fere non observentur, nunc comitantur gravissimis accessibus, ut plurimum intervallis irregularibus, saepe etiam ordinato typo redeuntibus, et per certos dies ut menstruatio ipsa persistentibus.

Quae plurimum observantur symptomata haec sunt: genitalium tumor cum mucosae injectione et calore aucto; tenesmi ad urinam; eruptiones in cute, vulgo eczematissimam formam referentes; debilitatis sensus in cruribus; dolor lumborum in pelvem sese extendens; congestiones varias in corporis partes, in caput cum cephalalgia pulsanti, epistaxi, in pectus cum tensionis vel doloris sensu, interdum cum haemoptoe, palpitationibus, in ventriculum cum cardialgia vel haematemesi, in tractum intestinale cum haemorrhagiis e recto, vel colicis doloribus, quae congestiones laesam universe et mutabilem circulationem denotant. Caeteroquin morbosae istae conditiones etiam ex intemperie nervosa originem ducere possunt, magis enim quam systema vasculosum systema nervosum affici videtur. Magna animi mutabilitas, praesertim nisus in melancholiam, apathia completa, vel inquietudo saepe observantur, dein sensus organorum aberrationes, surditas, coecitas, quin interdum mania.

Per longum temporis spatium amenorrhoeae classificationem scopo meo respondentem quaesivi. Quisque fere auctor novam proponit, quarum altera magis, altera minus apta est; optimam sine dubio commendat *Kiwisch von ROTTERAU* atque ejus amenorrhoeae specierum divisio illi, qui majorem, quam ego habeo, experientiam nactus est, cui simul tempus non ut mihi praemensum est, ad monographiam conscribendam eximium schema praeberet. Mihi vero visa est therapia optimum divisionis fundamentum sistere, quamobrem loqui mihi proposui:

- 1°. De amenorrhoea, in qua nulla cura est instituenda;
- 2°. De amenorrhoea, quae tantum universalem curationem postcit;
- 3°. De amenorrhoea, quae specificam, aut localem curationem postulat, etsi curam universalem simul requirere possit.

I.

DE AMENORRHOEA, IN QUA NULLA CURA EST INSTITUENDA.

Quo tempore menstruatio adhuc periodica sanguinis depuratio, muliebri organismo utique necessaria, habebatur, amenorrhoeae sequelas periculosissimas esse posse metuebant, quapropter ma-

xima perseverantia eam debellare studebant; hinc igitur ingens emmenagogorum numerus, quorum, jam primis temporibus, medici usi fuerunt.

Ulteriores observationes et meliores generationis notiones theoriam hanc expulerunt, et una cum illa metum, ne materiae nocivae in sanguine foeminae menstruis non purgatae remanerent, ita ut nunc quoque universe accipiamus, multis in amenorrhoeae casibus curationem non indicatam esse; in quibus scilicet conditio universalis bona est et illaesa manet, quibus, ut varii recentiores auctores, inter quos BRIERRE DE BOISMONT nominasse sufficiat, observarunt, accedunt multi casus suppressionis mensium, quam tamen saepe non sine jure metuerunt.

Causas indicare, quae tali amenorrhoeae subsunt, perraro fieri potest; saepe forsitan inculpandae sunt mutationes organicae, vel formatio incompleta, una cum universo functionis sexualis defectu et igitur sine perturbationibus, quae in organismum reagere possent.

Caeteroquin foeminae absque menstruatione perfecte sanae esse et tamen dein conceptione, graviditate, partu normali, perfectae evolutionis atque congruae functionis organorum sexualium indubium documentum praebere possunt. Hi autem casus nequaquam dignoscendi sunt, therapia itaque rationalis institui nequit et, etiamsi institui posset, prorsus supervacanea foret.

BRIERRE DE BOISMONT amenorrhoeam, etiamsi nulla symptomata morbosa producat, tollendam esse iudicat, quum morbi latentes in talibus foeminis subito magna vehementia erumpere possint. In hisce vero casibus morbus latens, qui dicitur, quasi dormiens, sine dubio mensium suppressionis causa erat; cogitari enim nequit, molimina menstrua in prima eorum apparitione morbos graves producere posse atque de cura sine indicatione instituta sermo esse nequit.

II.

AMENORRHOEA, QUAE TANTUM UNIVERSALEM CURATIONEM POSCIT.

Quod ad hanc quaestionem attinet, breves esse possumus, quandoquidem amenorrhoea hic ultimum plane locum tenet, et diagnosis ac curatio morbosae conditionis, primariam amenorrhoeae causam efficientis, ad forum therapiae specialis pertinet.

Sanguinis alterationes, vel quantitativae, vel qualitativae, hic imprimis in censum veniunt.

Exhaustio sanguinis amenorrhoeam producit; nullus datur morbus, si tantum ad certum gradum pervenerit, qui fluxum menstrualem non impedit. Observatur igitur per longius breviusve temporis spatium post morbos inflammatorios, praesertim si fortiorem curam antiphlogisticam postu-

laverunt, post typhum, post febres intermittentes protractas, post albuminuriam, post operationes majores, verbo in anaemia, hydraemia, eorumque peculiari, ad speciem saltem, forma: chlorosi. In his saepe effluxus mucosus, periodicus, vel incolatus vel paululum coloratus, tamquam menstruationis vestigium observatur.

Dein in cachexiis, in quibus sanguis qualitativam quandam, non satis notam hucusque, mutationem subiit, vulgo craseos hypinoticae nomine insignitam; scorbuto, phthisi, syphilide, rhachitide, scrophulosi, etc.; duae autem posteriores, juniore aetate propriae, pubertatis evolutionem magis retardant.

Sequitur crasis hyperinotica, quam vocant, sanguinis conditio, quae secretionibus membranarum mucosarum parum favere videtur. In aliis amenorrhoeam producit, in aliis, et quidem plurimis, dysmenorrhoeam peculiarem, ab *OLDHAM* primum commemoratam, emissione membranae sic dictae catamenialis stipatam.

Suppressio mensium in censum quoque venit, saepe tamen morbi consecutivi magis suppressionis causis, quam menstruationi laesae tribui debent. Potentiae nimirum nocentes, caeteroquin minoris momenti, in magna mulierum, durante menstruationis periodo, irritabilitate valde nocere possunt.

Epilepsia, chorea, mania, saepe una cum amenorrhoea occurrunt; istae autem conditiones mor-

bosae nimis adhuc latent, quam ut nexus causalis inter eas morbumque sexualem recte definiatur. In hysteriam eadem valent; nonnulli hac in conditione torpeditatem, vel atoniam uteri videre volunt; sin autem uteri affecti signa dominantur, ut saepe fit, plurimi hanc conditionem morbosam, nervosa irritatione productam existimabunt. Id quidem admodum verisimile videtur, in hysteria peculiarem, universalem irritabilitatem in organismo exsistere, quae quam arctissime cum functionibus systematis sexualis cohaeret.

Antequam huic parti finem imponamus, de chlorosi nonnulla animadvertere opus videtur.

Per longum tempus certamen adfuit, utrum chlorosis sequela, an causa amenorrhoeae habenda esset, nam si causa est, maximi momenti foret idonea curatione menses provocare, ideoque chloroseos ortum praecavere.

Notissima obstetrix *BOUVIN* et *A. DUGES* chlorosin ex amenorrhoea oriri putabant, therapia autem ab illis commendata eadem est, quae in chlorosi convenit.

BRIERRE DE BOISMONT amenorrhoeam apud chloroticas in genere hydraemicae sanguinis crasi, morbosae innervationis sequelae, tribuendam esse censuit, duobus casibus exceptis, nempe;

a. Si amenorrhoea ac chlorosis uteri quadam affectione producuntur, quo in casu solus coitus chlorosin cum amenorrhoea sanare valet.

b. Quando in puellis prorsus sanis chloroseos symptomata pubertatis incipientis tempore apparent. Idem fere affirmat KIWISCH VON ROTTERAU dicens: »In den weniger günstigen Fällen treten »wohl Menstrualbestrebungen ein, diese aber wirken auf den schwachen Organismus erschöpfend »ein und es tritt Chlorose auf.»

Quod ad priores attinet casus nullo modo perspicuum mihi est, quare BRIERRE DE BOISMONT uteri affectionem assumat, et aequè minus intelligo, quomodo talis affectio, siquidem adsit, tam vehementer in totum organismum reagere possit.

Sine dubio adest atonia, inertia, torpor uteri, quae completam, vel incompletam functionis suppressionem producere valet, alia autem organa prorsus in eadem conditione versantur, v. g., digestionis organa; et eodem jure, ut MACKENZIE fecit, dicere possemus, turbatam vel parum activam digestionem sympathice menstruationem impedire. E curatione commendata forsitan ad uteri affectionem concludere liceret, si coitus ut stimulus in uterum tantum ageret, quod quidem nullus credet; contra facillime mihi proponere possum, nervosum torpidae chloroticae systema, excitanti coitus impressione prorsus modificari et sanguinis formationem ut etiam secretiones ea ratione emendari.

Eodem modo in iis, quae sub *b.* traduntur, causa cum effectu confunditur. In sexualis evolu-

tionis periodo, cujus praesentiam molimina, quae **KIWISCH VON ROTTERAU** tam graviter accusat, ostendunt, celeriori materiae animalis mutatione et materiae diversis in telis assimilatione, dysharmoniam inter sanguinis formationem et sanguinis usum, verbo malam sanguinis crasin et abnormes secretiones facile oriri posse, mirum videri profecto nequit. Quatenus vivendi ratio, hac aetate saepe mutata et invadens ad venerem impetus, cui si modo naturae contrario satisfaciunt puellae, sua conferre possint, hic indagare locus non est.

III.

AMENORRHOEA, QUAE SPECIFICAM AUT LOCALEM
CURATIONEM POSTULAT, ETSI CURAM UNIVER-
SALEM SIMUL REQUIRERE POSSIT.

E nostra amenorrhoeae divisione et iis, quae sub I. memorata sunt, jam sequitur specificam, vel localem curationem in amenorrhoea tunc tantum instituendam esse, si symptomata morbosa sese ostendunt, quae vel determinato, quem tenent typo, vel, si non typice redeunt, absentia cujusvis alius morbosae conditionis, quae ista symptomata producere possit, aut certe, aut magna saltem cum probabilitate indicant morbum, vel molesta saltem symptomata si ea morbum vocare nolumus, ex amenorrhoea oriri.

Simul nulla contraindicatio adsit oportet, in habitu phthisico, vel in aliis morbis aut existentibus, aut imminentibus, in quibus fluxus menstruus debilitando nocere posset, vel si graviditas suspicatur, eoque magis, quod menses non subito, sed post duos tresve menses sensim evanescentes, et aegritudinis sensus, aut molesta symptomata, quae facile cum moliminibus confundi possent, prioribus graviditatis mensibus non raro occurrant, dum quoque gravida abortionem cupiens medicum fallere posset. Insuper contraindicatio in vitiis organicis, et praesertim in carcinomate incipienti vel ulceratione adest, ita ut universe in aetate proVectiori exploratio interna accurata curae praecedere debeat.

A. *Amenorrhoea* sensu arctiori mensium fluxus est retardatio, quae e causis internis oritur; *menostasia* mensium defectus, ubi antea fluxerunt, quibuscum *menstrua rara*, vel *menstruatio parca*, quod attinet ad therapiam convenit.

Hujus morbi formae causae praesertim quaerendae sunt in torpiditate cum anaemia, vel congestionem venosa; et in nimia systematis generationis, imprimis uteri, irritabilitate; in plethora abdominali et in fluore albo (si mucosa uteri membrana mucum scernit), a nonnullis *leucorrhoea uteri* dicto, dum BROUSSAIS, ut etiam BRIERRE DE BOISMONT aliique plethoram uteri insuper accusant.

B. In *suppressione mensium* subito menstruatio cessat, vi potentiarum psychice vel physice nocentium. Congestiones, phlogoses, nervosae affectiones, inde ortae, ut plurimum subito invadentes et magna cum celeritate progredientes, in initio symptomaticam, vel causalem curam postulant.

C. *Dysmenorrhoea*, dolorificus, saepe irregularis et parvus fluxus menstruus, plurime in plethoricis, bene nutritis, vitam sedentariam degentibus et cibus exquisitis utentibus, occurrit. Sanguis parca quantitate excretus magis coagulabilis est et saepe majora vel minora membranae, deciduae similis, fragmenta prodeunt. In nonnullis quidem casibus secretio dolorifica ex obstructione ostii uteri et impedito itaque defluxu interpretari potest, at vero non in omnibus. Plethora venosa, infarctus uteri (engorgement), post mensium suppressionem forsitan non raro ortus, et major irritabilitas, saepissime sub hysteriae forma prodiens eadem symptomata producere possunt.

RACIBORSKY longe plurimos dysmenorrhoeae casus oöphoritidi folliculari (ovarite folliculaire) adscribit, quae nunc characterem mere inflammatoriam, nunc nervosum magis induit.

D. *Menstruatio vicaria* est haemorrhagia menstruationem pro parte vel prorsus excipiens, saepe ordinatis periodis rediens, qua in re ab aliis igitur amenorrhoeae speciebus differt. Vel oritur post

suppressionem mensium, quo in casu in parte quadam jam magis minusve aegrotanti (in parte minoris resistentiae) sese ostendit, vel haemorrhagiae e vulneribus observantur eo tempore, quo menses fluere debuissent. LASSUS imprimis et DRUPYTREN ejusmodi casus memorant, quos post operationes observaverant; universe sanationem non impediabant et menstruatio normalis post vulneris cicatrisationem redibat.

Quam maxime differunt loci, e quibus in menstruatione vicaria provenit sanguis, frequentiores sunt: nasus, ventriculus, pulmones, vasa haemorrhoidalia, cutis. In genere istae haemorrhagiae, periodice redeunt, organis e quibus proveniunt, etsi nobilioribus, ac etiamsi per longum tempus repetita sit abnormalis sanguinis jactura, parum nocent, et organicas in iis degeneraciones raro tantum provocant, ita quidem ut, si menstruatio redeat et haemorrhagia ideo vicaria cessaverit, subito in parte affecta symptomata morbosa evanescant. Quod ad curam attinet, symptomata indicatio haud negligenda est, non raro unica erit, quae institui potest. Curatio itaque nunc haemorrhagiam vicariam sistendam, nunc uteri functionem excitandam vel restituendam spectat; saepe etiam utrumque tentari potest, quo in dejudicando longius vel brevius tempus, per quod exstitit, maximi momenti habendum est. Pro regula haberi potest,

haemorrhagiam tunc tantum sistendam esse, quando uteri functio ad normam redierit; uti etiam experientia omnia ante illud tempus instituta conamina frustra vulgo suscipi, nec raro valde nocere docuit.

In omnibus morbis apta diaeta certe maximi habenda est momenti, amenorrhoea vero illam imprimis requirit, quam tamen pro diversis casibus indicare mei conspectus limites excederet, uti quoque de peculiari unicuique morbi speciei accommodata medicatione hic agere nequimus; sufficiat igitur breviter enumerare remedia prae aliis laudata, vel medendi rationes commendatas. Et quidem primo loco agemus de remediis, ita dictis specificis.

SPECIFICA.

Emmenagoga, quae vocantur, aut *pellentia* remedia, praesertim in libris veterioribus de materie medica satis magno numero, at vero, ex mea saltem opinione, pro magna parte immerito commendantur, quandoquidem trium tantum eorum: secalis cornuti nempe, sabinae, cantharidum actio specifica in uterum probata haberi potest.

Herba sabinae uteri secretionem auget, vel excitat, modo nobis hucusque prorsus incognito; ejus tamen administratio valde restringitur, quum exceptis iis casibus, in quibus exquisita uteri tor-

piditas adest, et contra quos, deficientibus vulgo molestis symptomatibus, medici auxilium raro tantum imploratur, sabinae usus justo metu, ne inflammatio vel primarum viarum, vel uteri quoque excitetur, contraindicetur.

Majori adhuc gradu idem de cantharidibus valet, praesertim propter earum vim in renes valde nocivam.

Secale cornutum uteri secretionem verosimiliter non auget. Commendatur imprimis ab ENRIOTTI in amenorrhoea post chronicam uteri leucorrhoeam; mea opinione hic cum balsamicis comparari potest.

TROUSSEAU, RECAMIER, DUCLOS tincturam jodii dosi sensim augenda praescripserunt et quidem felici, ut iis videbatur, eventu. Tempus vero de medicamento iudicium feret, et nondum licet jodium, in tot aliis conditionibus morborum jure commendatum, emmenagogis adscribere remediis.

A diluenti et resolventi, quae iis propria est virtute, borax, chlor. amm., sulphur, sapo, alia verosimiliter emmenagogorum nomen acceperunt, quum in amenorrhoea, nimia sanguinis plasticitate producta, vel plethora abdominali, sub eorum usu menses redire possunt.

REMEDIA TOPICA.

Ad remedia topica pertinent: pediluvia et clysmata tepida, irritantia; sinaspismi; infriktiones irri-

tantes; cucurbitae siccae vel cruentae ad femorum latus internum; hirudines eodem loco, vel quod praefendum, labiis majoribus, secundum alios ipsi collo uteri appositae; venaesectio in pede, antea frequenter, dein rarius instituta, nuper a RACIBORSKY rursus commendata; tepida, humida vel sicca fomenta ad abdomen et ad genitalia; balnea, praecipue inferiorum partium, ex aqua frigida vel tepida, vel vaporibus tepidis; fumigationes in vagina; mammarum irritatio, sinapismis vel papillas sugendo producta, vel iterata ad eas hirudinum applicatione, quam MONDIÈRE commendavit et bono cum eventu LONDON, PATTERSON, HULIN-ORIGET adhibuerunt; iterata cucurbitarum siccarum ad mammas applicatio; aqua tepida vel frigida siphonis ope contra collum uteri directa a KIWISCH VON ROTTERAU commendata; pessaria irritantia; colli uteri, suadente SICHERER, lapide infernali cauterisatio; injectiones solutionis ejusdem medicamenti in uteri cavitatem, a RETZIO factae; tinctura jodii ad collum et in ejus canali illita; electricitas qua talis et variae hujus modificationes, de cujus administrationem in altera dissertationis parte agemus. MOJON proposuit bis de die acidum carbonicum, ope tubi ex gummi elastico confecti, in uterum ducere, acidum carbonicum facile in uteri cavitate sanguine resorberi credens, ejusque actionem localem sedantem, initio autem irritantem esse affir-

mans. Valde igitur acidum carbonicum contra dolores uterinos, qui saepe occurrunt in puellis irritabilibus, quae mature jam menstruis purgari inceperunt, quales in majoribus urbibus non rarae sunt, et in foeminis junioribus, quarum organa genitalia coitu nimio ita irritata sunt, ut mensium fluxus difficulter vel nequaquam appareat. In Italia medici acido carbonico frequenter et bono cum eventu uti videntur.

Praeter haec remedia, tam diverso modo agentia, tres adhuc methodi in censum veniunt, quibus congestiones tollere, vel in anaemia congestionem producere tentarunt.

Primum JUNOD haemospasia sic dicta; alterum HAMILTON arteriarum cruralium compressione et ANDRIEUX cucurbita, collo uteri apposita, tentavit. JUNOD instrumentum suum, quod cucurbita sicca ingens dici potest, eo scopo adhibet, ut magna sanguinis pars praesertim ad extremitates inferiores derivetur et hoc modo nobiliorum organorum, cerebri, cordis, pulmonum, congestio tollatur, dum simul hac ratione sanguinis affluxus in uterum augeri videtur.

HAMILTON contrariam viam ingressus est, quam AEGINETA jam commendavisse dicitur. Vinculo femur circumdante arteriam cruralem comprimit, ideoque circulationem per satis magnam corporis partem impedit, sanguinemque arteriae hypo-

gastricae externae pelvim intrare cogit. Augeri hac ratione sanguinis ad ovaria et uterum affluxum opinatur.

ANDRIEUX eundem scopum, quem JUNOD sibi proposuit, alio modo attingere conatus est, actionem nempe ad uterum tantum restringendo. Cucurbitam e cupro confici curavit, cujus apertura collum uteri arcte circumdat. Speculi vaginae ope cucurbita, postquam aer contentus rarefactus est, collo uteri applicat et pressione in vasorum parietes imminuta congestionem excitat.

MIRSCHIK methodum a JUNOD propositam nullo modo laudat, quum ei patuerit haemospasmiam praecordiale anxietatem, palpitationes, nisum in syncopen excitare, dum statim post applicationem omnia, quae aderant, congestionis symptomata, et quidem fortiora, redire solent, et insuper semel tantum per instrumenti applicationem menses, quae postquam per unum diem fluxerant, iterum disparuerant, revocare potuit.

ANDRIEUX curationis eventus in 16 foeminis communicavit; quarum apud 12 post paucos dies menses fluere inceperunt, una applicationem iteratam recusavit, tres denique non redierunt.

Quod ad tempus attinet, quo conamina ad menses revocandos majori successus spe institui possunt, aptissima profecto habenda est septimana ultima ante diem, quo in statu normali menses

apparuisent; plerumque autem tempus illud definiri nequit, symptomata, quae subinde, interdum valde irregulariter, sese produnt, activitatem organorum sexualium auctam indicantia, satis tamen perspicua sunt.

P A R S A L T E R A.

I.

DE ELECTRICITATIS ACTIONE IN ORGANISMUM ANIMALEM ¹⁾.

Postquam recentiori tempore, notionibus de electricitate valde perfectis, ope galvanometrorum valde sensilium electrica flumina ubique fere reperta erant, et postquam apparuerat tale flumen electricum in nervis sensilibus doloris perceptionem, in iis, qui motui inserviunt, contractionem musculorum, ad eos pertinentium, excitare, electricitate omnem nervorum actionem explicare posse non pauci crediderunt, gangliorum globulos cellulis electricis, nervos ipsos fluminis ductores habentes; quin MARIANI hanc legem sta-

¹⁾ Hoc in capite pro maxima parte Virum doctissimum H. SCHLESINGER secutus sum (Wiener Zeitschr. VII, 7, 1852).

tuerit: flumen electricum eadem directione atque ipsam vim nerveam decurrens, nervorum vim augere, contraria vero directione ductum delere.

Hanc legem falsam esse patet ex sanatione, quam saepe observamus post fluminis una tantum directione applicationem in conditionibus morborum, quibus, laesa nervorum sensui et motui inservientium functione, organa motus et sensus eodem gradu afficiuntur. Nam, quum in nervis sensilibus actio centripetalis sit, centrifugalis contra in nervis motoribus, utrorumque in integrum restitutio flumine, eadem semper directione ducto, obtinere non posset. Nec minus LONGET nervorum sic dictum agens, vel vim nerveam et electricitatem non similia, aut potius non eadem esse, probavit ligando truncum nerveum in viventi animali; quo facto innervatio partis sub ligatura sitae tollitur, nec vero electricitatis in eam actio.

Dein fluidum electricum non nervorum decursum, sed secundum leges notas brevissimum et optimum conductorem sequitur.

Contra omnia illa symptomata, quae electricitate producuntur, diversis irritamentis oriri observamus, solummodo per brevius tempus, quia nervorum telam delent.

In electricitate nil videre possumus, nisi stimulum mere physicum in nervos et telam contractilem agentem (ED. et E. H. WEBER), stimulum autem

maximi in medicina momenti, quia facillime diversissimis locis adhiberi potest.

Electricitas, per telas transiens, eas ad physiologicam energieam excitat; sequuntur sensationes vario gradu, musculorum contractiones et vasorum coarctatio, quam autem actionem, vi quasi auctam vel provocatam, sequitur depressio magis minusve intensa, sensus hebetudo, musculorum relaxatio, vasorum dilatatio. Post brevem quietem, nutritione illaesa, omnia restituuntur et, iterata stimuli applicatione, hoc modo vitalis functio augeri debet.

Doct. SCHULZ dicit ¹⁾: »Indem man diese locale »Einwirkung, insbesondere ins Auge fasste, unterschätzte man den Effekt der localisirten Elektrizität auf den lebenden Gesamtorganismus, indem man meist jene Zeichen bei der genannten »Anwendungsmethode unbeachtet liess, die hinlänglich beweisen, dass dieser Effekt sich nicht bloss »auf die Anwendungsstelle begrenzt, sondern auch »auf entfernt gelegene Partiën ausdehnt. Denn die »locale elektr. Erregung wird, dem Gesetze des Electrotonus gemäss, auf die Innern und Centralorgane »geleitet und ist im Stande von hier aus sich als »Reflex-Empfindung oder Bewegung, oder als reflektirte Funktionsabänderung, an von der Ap-

¹⁾ SCHULZ. Die Reflexwirkungen etc. Wien. med. Wochenschrift. N^o. 49, 50. — 1855.

»plikationstelle entfernten Organen bemerkbar zu machen.“

Haec vero SCHULZII sententiam concedere non possum, nam quod ille reflexionem nominat, pro magna parte effectus localis irritationis haberi potest, dum mihi praeterea talem actionem observare nunquam contigit. Constanter in iis, qui galvanica electricitate fortiter afficiuntur, calor corporis auctus et pulsus frequentior inveniuntur, quorum interpretatio ex contentione, quaecum peculiari sensationi sese opponere conantur, facilis est.

II.

ALIORUM DE ELECTRICITATIS, IN CASIBUS HIC PERTINENTIBUS, ACTIONE OBSERVATIONES.

Per quoddam tempus aliorum observationes colligere conatus sum, sed diu in isto labore perstare non volui, quia quae inveniebam valde incompleta erant; fere nusquam enim foeminarum constitutionis, vel adhibitorum apparatusum descriptionem accuratam inveni, raro commemorantur partes, in quas electrodi applicabantur; aequè raro per quod tempus duravit applicatio, et quotuplex certo temporis spatio adhibita fuit.

Paucis verbis nonnulla commemorabo.

In atonia uteri durante partu cum haemorrhagia galvanismus contractiones tonicas, dolorificas

producebat. Partus in istis casibus semper quam tardissime absolvebatur cunctique infantes mortui nascebantur.

In quibus casibus ad partum praematurum artificialem provocandum galvanismus adhibitus est, membranae ruptae sunt, nec sine jure huic rupturae foetus expulsio tribuitur.

Vir doctiss. ROSENTHAL cum electromotore NEEFFI experimenta instituit et galvanismum constanter menstrualii secretioni favere eamque saepe augere reperuit; fluor albus quoque copiosior fiebat.

Vidua BOIVIN et A. DUGÈS in compendio suo (1833) electricitatem contra amenorrhoeam torpidam commendant.

ANDRIEUX amenorrhoeam, ut plurimum ex debilitate systematis uterini oriri et in chlorosi quoque electricitatem optimum esse stimulum existimat. Utebatur electricitate frictione evoluta. Aegra in sella peculiari sedente, pedibus scamno cupreo impositis, scintillae ex globo metallico anteriori sellae parti adnixo, ad 3 vel 8 millimetrorum distantiam in genitalia et crura transilabant. Insuper victum bonum administrat, quem post talem per aliquot dies institutam curam bene ferri affirmat, etiamsi antea digestio mala esset. Menstruatio intra 14 dies apparebat, vel redibat.

GOURDON in instituto medico-electrico, quod LE MOLT curat (1835), variis cum apparatus

amenorrhoeam et fluorem album se sanavisse dicit.

Infelicior erat Vir doct. **BAHRT**, cui concessio data est (1836) in Nosocomio Berolinensi, Charité dicto, experimenta instituire in aegros, vel fricando eos fortioribus magnetibus, vel apponendo magnetes; duos nimirum menostasiae casus, quorum alterum cum vomitu consensuali, absque ullo effectu curare conatus est.

MOJON (1837) in opere suo de menstruatione, sequentia fere dicit. Peculiaris vis electricae efficacia in nostrum organismum quoque ad menstruationem revocandam princeps habenda est. Electricitas fortissimus stimulus in amenorrhoea, genitalium inertiae sequela, imprimis in foeminis temperamenti lymphatici et debilis constitutionis.

GOLDING BIRD (1843) nulla in conditione morbosa electricitatem tam efficacem, quam in amenorrhoea esse contendit, dummodo constitutio non ita debilitata sit (in chlorosi), ut uterus postulatam secretionem producere non possit. Quotidie 10—20 scintillae in directione ossis pubis ad os sacrum pelvim transeuntes, intra paucos dies menses excitant. Hanc medicinam per 4 vel 5 hebdomadas protrahere ineptum censet. Anno 1855 25 foeminas, amenorrhoea laborantes, electricitatis ope curavit, omnes sanatae sunt, exceptis 4 chlorosi laborantibus.

GOODWIN in retentione et suppressione mensium actionem galvanici fluidi laudat. Alterum electrodum in uterum ducit, alterum vicinae corporis parti adponit.

MONOD amenorrhoeae, jam dudum existentis cum meteorismo, observationem communicat, in qua, prima jam nocte post adhibitum galvanismum, electrodis diversis in locis abdominis, femore, genitalibus apposis, menses fluere inceperunt. Postquam bis vel ter, alternis diebus, applicatio iterata erat, meteorismus disparuit.

HERVIEUX (1851) puellam, cujus menses non fluebant, quaeque quotidie sanguinem per vomitum reddebat, ita ut jam anaemica facta esset, omnibus ad menses excitandos medicamentis jam frustra adhibitis, electro-galvanismi ope curavit; quotidie flumen trans pelvim ducebat et quidem eo effectu, ut post aliquot dies haematemesis sisteret, post tres hebdomades menses redirent.

DEMPSEY in amenorrhoea galvano-electricitatem commendat.

KIWISCH VON ROTTERAU in torpida morbi specie eam laudat.

OLDHAM (1852) in amenorrhoea electro-galvanismi usum suadet; et quidem primum flumen per pelvim ducit, quod vero, si non sufficit, galvanismum in ipsum uteri parietem affert, quae cura, si opus est, per plures menses continuari

posset; diuturnam autem talem electricitatis applicationem nocere posse credit.

DUCHENNE instrumentum invenit tale, ut uterque polus in uterum introductus hujus organi parieti interno, locis oppositis, asseratur. Ejus tamen experimentorum eventum ignoro.

SCHULZ, loco citato, tres observationes fusius communicat, quas breviter commemorare cupio.

Casus primus. Amenorrhoea primaria. — Puella bene evoluta, 19 annos nata, non anaemica, quae menses hucusque nunquam habuerat, sed ab anno aetatis decimo quarto copiosa vaginæ blennorrhoea correpta erat, auxilium imploravit contra vehementem cephalalgiam et vertiginem cum capitis rubore et calore aucto, omni quarta hebdomade redeuntem et per plures dies perdurantem, dum post aliquod tempus congestionis symptomata quidem imminuebantur, vertigo autem persistebat.

Vaginæ et orificii uteri externi cauterisatio, hirudines portioni vaginali, praesentibus molimini-bus menstruis, appositae, aqua frigida, siphonis ope injecta, alia medicamenta per plures menses frustra adhibebantur et ne blennorrhoeam quidem imminuere poterant.

SCHULZ pedum plantis electrodos apposuit, congestio non augebatur; post quatuor hebdomades blennorrhoea et vertigo multum imminutae erant; iterum post quatuor hebdomades prorsus evanue-

rant. Puella validiorem sese sentiebat. Alternis diebus electrodi nunc suris, nunc femoribus, vel inguinalibus regionibus applicabantur. Molimina menstrua deinceps sequentia vehementi abdominis dolore pressione aucto et tumore per tres vel quatuor dies stipata erant.

Rursus post quatuor hebdomades menses absque ullo dolore fluere inceperunt et deinde regulares manserunt.

Cura 12 hebdomades duravit.

Casus secundus. Amenorrhoea secundaria. Foemina, 28 annos nata, bene nutrita, duorum infantum mater, mariti morte in conditionem minus faustam delapsa, ante quatuor annos menses ultima vice habuerat et duorum annorum spatio medicamentis, quam maxime diversis, ad eos revocandos usa erat.

Post 9 intra novem dies sessiones, in quibus electricitas in dorsum ducebatur, menses redierunt; sub eadem applicatione post sex hebdomades altera vice fluxerunt; tum vero non nisi post tres menses apparuerunt. Ultimo tempore thorax et abdomen ad applicationem eligabantur, eo effectū, ut post 14 dies menses redirent. Eadem cura alternis diebus per mensem adhuc protracta, menstruatio dein regularis mansit.

Casus tertius. Menstruatio parca. Robusta quaedam mulier, 36 annos nata, apud quam menses

regulariter quidem fluebant, sed per unum tantum diem et parce, saepe vehementem cephalalgiam cum congestione ad meninges, qua interdum mentis impos fiebat, patiebatur. Durante impetu per plures dies in lecto manere cogebatur et magnus tantum numerus hirudinum pone aures, et epithemata in caput frigida dolorem imminuere poterant. Multa medicamenta frustra adhibebantur.

SCHULZ debili flumine electrico, electrodis ad plantas pedum apposis, post quatuor menses menstruationem, per 3—4 dies perdurantem, provocavit. Cephalalgia postea raro tantum redibat, neque ei valde molesta erat.

III.

EXPERIMENTA PROPRIA.

Indicatio topicae per electricitatem curae non ita clara est, quam quidem cuperemus. Major profecto experientia eam adhuc determinare debet; eam, quam secuti sumus indicationem facile desumitur ex iis, quae in hujus libelli priori parte de locali amenorrhoeae curatione commemoravimus et ex observationibus sequentibus.

Nº. I.

A. T.....T, viginti annos nata, constitutionis satis tenerae et temperamenti nervosi, cae-

terum bene evoluta, mense Septembri anni 1855 polyclinicum medicum adiit, congestionem cerebralem assidue patiens, quae conditio morbosa mensibus deficientibus tribuebatur. Bis menses habuerat et quidem ultima vice mensi Aprili ejusdem anni. Frustra pediluvia per mensem adhibebantur. Die 23 m. Octobris in Nosocomio academico febre continua correpta recipiebatur; magna tunc temporis aderat congestio cerebialis et vehemens cephalalgia, caeterum causa morbi, qui jam per hebdomaden duravit, latuit. Valde debilitatae puellae tinctura quaedam martialis (cortic. per. f. non ferebat) maxime profuit.

Menses interim non redibant, cephalalgia rarius nec periodice puellam invadebat, quae tamen nunc saepe lumborum dolorem accusabat, caeterum faciei color bonus et nutrimentis idoneis sumtis, anaemica conditio emendata erat.

Die 13 m. Februarii anni 1856, tribus et quod excurrit mensibus post morbum praeterlapsis, magneto-electricitatem adhibere incepti. Ad utriusque pedis dorsum electrodi applicabantur et bis quaque hebdomade per sextam, vel quartam horae partem flumen transducebatur. Actio electrici fluidi fortissime in suris percipiebatur et genibus, interdum etiam ad femora usque; ut plurimum gravitatis sensum per longius breviusve tempus post finitam applicationem in cruribus persistebat.

Cutis acido sulphurico diluto humefacta, eo loco, quo laminae cupreae apponebantur, post applicationem ruberior calidiorque evadebat.

Die 27 m. Februarii alter polus in lumbis applicabatur, alter ad pedem; post aliquot autem dies alius et quidem ad femoris latus internum. Deinde nunc femur sinistrum et regio lumbalis dextra, nunc femur dextrum et lumbalis regio sinistra ad applicandos polos eligebantur. Alternis diebus applicatio perficiebatur. Conditio eadem fere manebat, nunc parum emendata, nunc minus bona.

Die 18 m. Martii gastricismus et febris accesserunt, idonea cura brevi sanata, nec tamen ante diem 7 m. Aprilis applicationem rursus suscepi, quamvis cephalalgia et lumborum dolor fere evanuisent.

Die 17 m. Aprilis cephalalgia rediit; at vero ab hoc inde tempore rarius in Nosocomium veniebat, et propter varia negotia domestica admodum nervosa erat. Deinde ancilla facta nos adire cessavit. Hodie ejus conditio satis bona, at, quatenus hoc dijudicari potest, eadem quae ante applicationem fuerat.

Intra 42 dierum spatium, temporis, per quod intercurrentis morbus duravit, deductione facta, quater et vicies electricitas applicata est.

N^o. II.

E. K. N, 34 annos nata, non nupta, quae

nunquam peperit, bene evoluta, cephalalgiam et lumborum dolorem accusans, auxilium imploravit. Mense Maji anni praegressi ultima vice menstruatio adfuerat, quae tamen antea quoque semper fuerat irregularis.

Die 13 m. Februarii polos pedibus apposui, post aliquot applicationes hoc quoque in experimento femoribus et lumbis.

In 23 dierum spatio nonies electricitas adhibita est, quo facto puella, conditione non emendata, non rediit.

Nº. III.

Vidua quaedam V. s, 40 annos nata, sanae constitutionis, sexto et ultimo puerperio ante 5 annos peracto, exceptis tribus abortibus, oculorum conditionis morbosae causa in clinico recipiebatur. Dextro in oculo coecitas completa, chronicae chorioiditidis etiamnunc existentis sequela, jam ante cataractae praesentis evolutionem orta erat; in sinistro chronica chorioiditis diagnoscitur, ut eadem sors quoque hunc oculum minetur. Hirudinibus ad tempora vel in naribus, cucurbitis cruentis ad nuquam saepius applicitis, protracto mercurii sublimati corrosivi interno usu, infriictione unguenti mercurialis ad tempus, sinistri oculi conditio multum emendatur. Paulo ante ejus in Nosocomium introitum menses ultima vice fluxerant, postea

vero per tres menses non redierant, ita ut, quum de graviditate nullus sermo esset, congestionem in caput saepe obviam et crebram cephalalgiam menstruationis defectui jure adscribere possemus. Propter haec symptomata, nec minus propter oculorum morbum nondum sanatum, menses, si fieri posset, revocare nobis indicatum visum est, quo fine per longum tempus borax, pediluvia, cucurbitae cruentae ad femorum latus internum, hirudines ad genitalia praescribebantur, sine ullo autem effectu.

Die 21 m. Februarii illam quoque electricitate curare incepti et electrodos pedibus, postea lumbis et femori apposui.

In 59 dierum spatio nonies et vicies applicatio iterata est; nocte die 20 m. Aprilis menses apparuerunt et per tres dies, solita ratione, fluxerunt.

Semel, scilicet die 30 Martii, post solitam galvanismi applicationem alter polus a femore amovebatur et lamellae cupreae loco bacillum cupreum, globulo praeditum, et tubulo vitreo isolatum, in collum uteri ducebatur, quod hoc in casu facillime fiebat, quia uterus profunde in pelvi minori situs erat et ostium collique canalis ita aperta, ut digitus commode intrare posset. Per aliquot horae minutas ad parietem uteri internum tenebatur, absque symptomatibus manifestis.

Inde a die 17 m. Maji quotidie galvanismus administrabatur; die 24 ejusdem mane credebat

aegra menstruationem instare, pergitur nihilominus applicatio; ipso autem die menses apparent et per tres dies perdurant.

Die tertio tricesimo post primam apparitionem rursus invaserunt menses, quae antea vicesimo quinto die redire et tunc etiam per tres dies fluere solebant.

Quamvis hac in observatione conamina felici cum eventu coronarentur, commemorare insuper debeo oculi conditionem, restituta menstruatione, non emendatam esse, nam inter has menstruationes satis acuta inflammatione oculus, fortuna profecto secunda, coecus correptus est, quae antiphlogisticam curam, satisque strenuam istam poposcit.

N^o. IV.

E. V. . . . N, 18 annos nata, bene nutrita et evoluta, sanae constitutionis, subplethorica, molimina menstrua, variis sub formis, ut cephalalgiae, interdum perfectae surditatis, 14 vel plures dies persistentis et dein evanescentis, vehementis abdominis doloris, ostentavit; ante quatuor menses semel, et quidem prima vice, menstruatio adfuit.

Pediluviis tepidis frustra adhibitis, die 21 m. Februarii eandem ac praecedentibus in hac puella medicinam regulariter adhibui, usque ad 2 m. Aprilis diem, quum nocte menses apparuerint et per quatuor dies et dimidium copiose fluxerint.

Diebus autem praecedentibus moliminum irregularium exacerbationem non observavi.

Intra 41 dierum spatium galvanismus semel et vices adhibitus est. Per breve tempus ab applicatione abstinui.

Die 27 Aprilis rursus incepti et quotidie applicavi, usque ad diem 9 m. Maji, quo die altera vice menses fluebant; 37 igitur dies post primam menstruationem.

Notandum insuper, usque ad diem 8 m. Maji puellam nullum dolorem percepisse, per duos autem ante menstruationem dies vehementem cephalalgiam eam accusavisse, cui dolor in abdomine subsecutus est.

Die 9 m. Maji longe sensilior flumini galvanico facta erat, quam antea. Per sex dies menstruatio copiosa adfuit.

Die 5 m. Junii absque electricitate tertia vice menses apparuerunt et per quatuor dies fluxerunt.

Symptomata molesta nondum redierunt.

Nº. V.

H. DE B. . . N, puella paupera, 27 annos nata, parvae staturae, serophulosa, caeteroquin satis bene evoluta et nutrita, ruberrimo faciei colore praedita, per duos annos menses non habuit; antea fluxerunt quidem, sed irregulariter et parce. Cepha-

lalgiam saepe patiebatur, quae autem non periodice eam invadit, neque exacerbatur.

Die 6 m. Martii applicationem institui et ter iteravi; post illud vero tempus non amplius rediit puella.

Nº. VI.

H. VAN P. . . . N, valde scrophulosa, 27 annos nata, inde a decimo tertio aetatis anno regulariter menses habuerat, quae autem per annum ultimum non redierunt, cujus defectus causam accusat rixam vehementem, quae eam menses habentem valde terruit. Satis evoluta, saepe rubrum habet faciei colorem, cephalalgiam et dolorem lateris sinistri accusat; pulsus non magnus est nec frequens, stupidum adspectum prae se fert et aliquo saltem gradu, ut mater quoque affirmat, idiota habenda est. Haec autem stupiditas et apathia forsitan maxima pro parte animi pathematum deprimentium effectus haberi possunt, habitat enim apud fratrem, qui uxorem duxit, ut videtur, valde iracundam, cujus animo irritato saepe exposita est.

Die 9 m. Aprilis medicinam eandem institui, electrodos femori et lumbo apponens.

Per dies 42 vicies electricitas galvanica transducebatur; deinde, an post vel propter, conditio ita emendata est, ut quamvis menses non apparuerint, curam protrahere mihi inutile videretur.

No. VII.

Vidua quaedam D. . . . N, 34 annos nata, jam mature menses habuerat, sed irregulares et parce fluentes, durante autem periodo congestiones ad thoracem et caput patiebatur cum propriis symptomatibus, praesertim cephalalgia et praecordiorum anxietate. Die 14 m. Aprilis rursus tali in conditione versabatur; per tres dies menses parce admodum fluxerant, pridie cessaverant; facies tumida et rubra erat.

Ad resuscitandam et augendam menstruationem alterum polum in lumbo, alterum in femoris oppositi latere interno applicavi et per quartam horae partem flumen transduxi.

Sequenti die fluor albus copiosus aderat, quo nunquam laborat, nisi aliquot dies ante periodum invadentem, quapropter galvanismi applicatio iteratur.

Tertio die non rediit, postea autem ex ea audivi, nil nisi fluorem album apparuisse.

Propriis observationibus sequentes adhuc addere cupio, quas Promotor mecum communicavit. Notandum in omnibus casibus eundem apparatus magneto-electricum (STÖHRER) esse adhibitum, quo et ego in initio usus fui.

N^o. VIII.

Puella quaedam nomine CORNELIA C, ad finem anni 1854 auxilium implorare venit in domo, quae *Diaconessenhuis* nuncupatur, contra epilepsiam, qua jam per aliquod tempus vexabatur. Insultus non crebri erant, vulgo noctu eam invadebant, interdum satis diu durabant. Puella caeteroquin, si congestionem ad caput saepius praesentem et cephalalgiam subinde obviam excipias, sana erat, modice evoluta, menstruis nondum purgata. Per tres annos et dimidium in polyclinico dicti instituti curata est et quidem variis remediis. Saepius hirudines ad nares vel cucurbitae ad nucham applicatae sunt, saepius cucurbitae ad sacrum vel ad internum femorum latus, hirudines ad genitalia; pro usu interno per longum tempus praescripti sunt flores zinci, dein borax, tandem secale cornutum; pediluvia crebra sumsit puella, at frustra, menstruatio non apparuit et epilepsia mansit, quidem minus frequenter quam antea rediens, sed eadem insultuum intensitate. Conditio universalis bona interim manebat, facultates mentales integrae, corpus bene nutritum, color faciei floridus erat; congestiones ad caput interdum redibant, uti quoque cephalalgia. Omnibus ad menses excitandos frustra adhibitis, nulla praesente contraindicatione, die 15 m. Maji 1855 electricitas

prima et unica vice fuit applicata et quidem hocce modo, ut unus polus manu dextra teneretur, alter ad pedem sinistrum appliceretur, dum flumen per decem circiter horae minutas transduceretur. Nullas ab applicatione molestias, nullam peculiarem sensationem durante applicatione accusabat puella, et sana in domum suam rediit. At vero insequenti nocte insultu, ut parentibus videbatur epileptico, admodum vehementi corripiebatur, quo non cedente, medicus arcessebatur, qui ex violentis, quae aderant convulsionibus, et insignis ad caput congestionis symptomatibus, ad meningitidis praesentiam concludit. Cura antiphlogistica strenua incassum adhibita, puella post aliquot dies succubuit.

Num electricitatis applicatio hoc in casu tanquam occasionalis causa aliquid effecerit, plane negari quidem nequit, at vero non verisimile est.

Nº. IX.

Mulier quaedam, K.s, 36 annos nata, per novem annos nupta, medio anno 1854 auxilium imploravit contra amenorrhoeam, jam per longum tempus curatam, nullis vero remediis sublatam. Menses nunquam fluxerant; constitutio debilis erat, nervosa; anaemiae signa aderant, caeterum omnes functiones bene perficiebantur. Quod ad genitale systema attinet, uterus justo minor erat, collum longum, tenue, ostium externum exiguum

sed apertum, nec canalis colli clausa. Voluptatis sensatio durante coitu, asseverante muliere, fere plane aberat. Constitutionem emendare per martialia, uteri functionem excitare per secale cornutum tentatum est, at vero his non juvantibus, medio anno 1855, electricitas adhibita fuit, et quidem per tres menses sexagies ad septuagies. In initio ad utrumque pedem poli applicabantur, dein ad pedem et lumbos, tum ad femoris internum latus et in lumbali regione, subinde quoque ad col- lum uteri applicabatur alter polus. Bene, interdum fortiter, stimulum electricitatis percipiebatur, imprimis si in ipsa vagina flumen ducebatur, effectus autem curationis quod ad menstruationem attinet nullus fuit, id autem notandum voluptatis durante coitu sensum multum auctum fuisse, ut igitur, si fortior apparatus adhiberi potuisset, ipsi menses quoque forsitan apparuissent. Mulier, relicta urbe, deinde non rediit.

N°. X.

Mulier, duos tresve annos nupta, 25 annos nata, sana, etsi adspectum anaemicum leviori gradu prae se ferret, temperamenti nervosi, semel tantum et quidem 16 aetatis anno menses habuerat, qui postea absque causa cognita nunquam redierunt, neque post matrimonium sese ostenderunt. Dolor in lumbis subinde aderat, interdum quoque leviora

menstrua molimina observabantur, uti quoque non raro cephalalgia. Exploratio interna nil docuit, uteri mucosa modice mucum secernit, ipsius uteri volumen normale videtur. Adhibita fuit electricitas, et quidem vicesies quinquies circiter per duos fere menses, eodem modo, quo in casu superiori, et quidem eo effectum, ut post ultimam applicationem menses, sine moliminibus manifestis apparuerint, et per duos tresve dies, non copiosi tamen fluxerint. Quatuor hebdomadibus post non redierint, electricitatis autem applicatio repeti non poterat, quandoquidem mulier urbem relinquere coacta erat.

Nº. XI.

Matrona quaedam, 36 annos nata, die 25. m. Decembris 1854 in domum supra dictam recepta est, ibique ad 21 m. Augusti 1855 curata. Saepius pepererat, bonae erat constitutionis, antea sana fuerat, nunc autem per aliquod tempus melancholica facta erat, ut fere mania melancholica adesse dici posset. Causa morbi partim ex rebus domesticis minus gratis, partim quoque, et quidem praesertim, ex plethora abdominali, mensium cessatione, et pertinaci alvi obstructione repetenda erat. Cucurbitae vel hirudines interdum applicabantur, alvus promovebatur (eo quidem effectu, ut ingens sordium quantitas sensim sensim-

que proderet), ac sensim conditio mentis emendabatur. Non vero rediit menstruatio. Cum chloroseos levior gradus sensim oriretur, martialia praescripta sunt et quidem bono effectū, quod ad constitutionem attinet, non quod ad menses. Denique per 12 vel 14 vices, solita ratione, adhibita fuit electricitas, et quidem eo eventu, ut brevi post ultimam applicationem menses, fere sine moliminibus praegressis, apparuerint et bene fluxerint. Quae supererat mentis turbatio deinde plane disparuit, dum post mensem fluxus menstrualis sponte rediit.

Quod attinet ad apparatus, quibus in observationibus meis usus sum, pauca sufficere poterunt; initio magneto-electricitatem, et quidem apparatus cum commutatore a STÖHRER confectum, adhibui; duo autem apparatus non fortes (quod attinet ad actionem) erant, et quia insuper rotatio, si duae vel tres sessiones sibi succedebant, per tempus adeo protractum multam intensionem requirebat, instrumentum aptius quaesivi et inveni in inductionis apparatu cum parva cellula (BUNSEN), et inde a die 13 m. Martii hoc apparatu, paucis sessionibus exceptis, usus sum. Valde mihi placuit, nam applicatio non tantum longe facilius erat, sed, quod majoris momenti, actio multo fortior,

dum ob majorem regularitatem melius ferebant foeminae.

Unica molestia erat acidorum transfusio in cellulam et e cellula, ejusque purgatio; majus praetium in censum venire vix potest, quia post longius tempus solummodo acida (acidum sulphuricum certe prius, quam acidum nitricum) renovare debebam. Vaporum acidi nitrosi evolutio non percipitur.

Polus in lumbis nullam fere, in crure majorem molestiam praebet, sed eo minus, quo altius applicetur; partim hanc ob rem, partim, ne flumen majori distantia debilitaretur, electrodam ad femur applicare solebam.

CONCLUSIO.

Jam ad terminum festino, parcas adhuc animadversiones de observationum praetio afferam.

Si mihi licet experimenta ab aliis peracta dijudicare, nonnullis in observationibus nimis actioni electricitatis tribui dicerem; v. g. in historia et curatione, quam narrat MONOD. Quamvis enim manifesto affirmet, conditionem jam diu exstitisse, putarem curationis successum et conditionis morbosae emendationem fortuito obtinuisse. Saepe enim post longiorem morbi durationem, gravioribus abortis moliminibus, tempore igitur, quo menses absque artis auxilio apparuissent, auxilium implo-

ratur; quod me ipsum bis experientia docuit, quum in paucis meis observationibus, duas vidi puellas, polyclinicum adeuntes, quibus menstruatio supervenit eodem die, quo galvanismum applicare statueram. Insuper hic etiam valet, *quod nimis probat, nil probat.* Prouti OLDHAM et SCHULZ credo electricitatem in casibus amenorrhoeae rebellibus per longum tempus adhibendam esse, antequam ab ejus usu desistamus; caeteroquin patet medicationem eo citius bonum effectum edituram esse, quo facilius functio laesa ad normam reduci possit.

Experimentorum eventum mihi valde placere fateor.

Observatio *secunda* et *quinta* imperfectae sunt, ut etiam *septima*, in qua tamen electricitati omnis effectus interdici nequit. In *tertia* electricitatis vis maxime probatur. Hoc enim aetatis anno, moliminibus plane deficientibus mensium reditus spontaneus exspectari non poterat, etiamsi quoque reditus fuisset spontaneus altera menstruatio, priorem verosimiliter non, vel citius insecuta esset. *Quarta* aequae manifesta est; praesertim magni aestimo moliminum absentiam ante primam menstruationem. Utraque foemina ante, per, post curam in iisdem vitae conditionibus manebat. Laudandus quoque electricitatis effectus in observationibus additis *decima* et *undecima*, in *nona* autem non magnus fuerat infectus. *Octavam* observatio-

nem, in qua nempe semel tantum applicata fuit electricitas; silentio praeterire possumus.

Quae cura autem quater bonum, ter nullum effectum edit, omnibus momentis bene observatis, efficax dici potest.

Electricitas ergo emmenagogum habenda est, cujus administratio majora, quam plurimae locales medendi rationes commoda praebet, nam electrodi facile sub vestimentis absque denudatione applicari possunt, quod medicum ipsum perficere non opus est. Si medicus (quod semper optandum, et, si inductionis apparatu utitur, omnino necesse est) applicationi semper adesse cupit, temporis penuria applicationem crebram impedire posset. Hanc ob rem in praxi civili magneto-electricitas mihi saepius praeferenda videtur, dum in Nosocomiis, praesertim ubi plures mulieres deinceps curae submittendae sunt, galvano-electricitas praeferri meretur.

T H E S E S.

I.

Electricitas menstruationem provocare valet.

II.

Electricitas in organismum ut irritamentum physicum agit.

III.

Phosphorus et acidum arsenicosum tamquam medicamenta nequaquam rejicienda sunt.

IV.

Recte doctissimus C. GObÉE, (Brieven over geneeskunde, II, pag. 240). »Alleen de rationele therapie, »die geene andere naast zich duldt, leidt tot vertwijfeling »aan ons therapeutisch vermogen.»

V.

Chlorosis est hydraemia.

VI.

Structurae corporis vitrei descriptio, ab A. HANNOVER
proposita, vera mihi videtur.

VII.

Cum O. FUNKE credo, adipis resorptionem, eodem
modo atque alius fluidi, endosmosi perfici.

VIII.

Recte VIRCHOW (Gesamm. Abhandl. pag. 750). »In
»der That kann ich auch die Menstruation nur mit den
»acuten katarrhalischen Schleimhautentzündungen zu-
»sammenstellen, wie man sie an den Respirations- und
»Digestionswegen so häufig sieht.

IX.

Puncti gravitatis positio in foetu praecipua causa est,
quare caput praevium fiat.

X.

Lac durante menstruatione secretum infanti non nocet.

XI.

In cataracta traumatica symptomata inflammatoria lentis extractionem non contraindicant.

XII.

Plurimis in casibus urethrotomia absque itinerario (boutonnière) catheterismo violento et punctioni vesicae est praeferenda.

XIII.

De vereeniging eener brood- en koekbakkerij moest niet geoorloofd zijn.

